

quando vere juspatronatus privatum sit reale; vide Rot. in Viterbien. Capellanæ 3 Jul. 1718, cor. bon. mem. Gamach. et in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1731, cor. bon. mem. Ratio. (56. Solet etiam maxime inquiri in quos transeat hoc juspatronatus privatum reale. Confer Rot. in Carinolen. Canonicatus 2 Maii 1738, cor. clar. mem. Millin.

(57. Inter originarios modos acquirendi juspatronatus Auctor n. 22 refert et fundationem, eam accipiendo pro simplici donatione fundi seu loci ad ecclesiam ædificandam, adeoque distinguit fundationem ab ædificatione et dotatione. (58. Vetus est hic error Gloss. in Can. Piæ Mentis 16, quæst. 7. (59. At is confutatus jam fuit a Francisco de Roye De jurepatron., cap. 13. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudencia canonica verb. Patronatus cap. 3, num. 3, et plus. seq. aliisque. (60. Reædificatione et redotatione quando acquiri possit juspatronatus jam constitutum, vide apud Gagliard. De jurepatr., cap. 5, n. 28.

(61. De jurepatronatus reali seu annexo aliqua hic addere inutile haud est. Porro si agatur de beneficio ab antiquo fundato,posito in oppido, cui annexum præstenditur, et dotato præterea ex ejus redditibus, præsumptio est pro annexione jurispatronatus oppido illius, etiamsi desit instrumentum fundationis, ita ut qui contrarium præstendit, eam excludere teneatur; Confer Bohemer. in Decretal. lib. III, tit. 38, § 107. Adde Piton. De Controvers. patronor., alleg. 100, num. 21. Fagn. De jurepatr., part. II, can. 14 et 15, cas. 2, n. 12 et seq. Rota coram Caprar., decis. 214, n. 7 et 15, coram Molin., decis. 609, n. 16, et in Constantien. Juris nominandi 26 Junii 1751, § 6, coram bon. memor. vicecomit.

(62. Observantia quoque declarare potest an juspatronatus sit annexum, nec ne. Si enim ille semper præstentur, qui potiti sunt oppido, cui præstenditur annexum, pro annexione respondendum est, tum concurrentibus circumstantiis mox expositis, tum etiam si non concurrentibus; Lotter. De re benefic., lib. II, qu. 4, n. 98. Dunod. De Præscript. bon. Eccles., p. 33, edit. Paris. anni 1753. Rota coram Kaunitz. decis. 204, n. 1, in Pennen. seu Adrien. Jurispatronatus 12 Martii 1711, § 16, coram bon. mem. Ratt. inter impress. decis. 300, num. 3 et seq.

(63. Posita vero adnexione dubitari solet utrum juspatronatus quoad exercitium spectet ex æquo ad omnes possessores oppidi illius, an pro partibus ejusdem. Ex æquo pertinere videtur sentire Franciscus de Roye in Prolegom. ad tit. De jurepatron. c. 19, § Sed eam. At prævaluit opinio tenens, quod spectet pro partibus, cardinal. de Luca. De jurepatron., discours. 61, n. 6. Rota coram Molin., decis. 947.

## ARTICULUS II.

*Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus in alios translationem et ejusdem amissionem.*

## SUMMARIUM.

1. Juspatronatus primo transit per successionem hæreditariam; et assignantur hæredes, ad quos transire potest, et quomodo, ad n. 24 — 25. Secundo, transit de uno in alium per donationem, et quomodo talis donatio fieri possit, et cujus consensus requiratur, ad n. 42 — 43. Tertio, transit de uno in alium per permutationem; et quomodo permutatio fieri possit, ac debeat, ad n. 50 — 51. Quando transfertur de uno in alium per venditionem; et talis venditio per singulas sui partes late explicatur, ad n. 70 — 71. Assignantur varii modi, seu causæ, quibus amittitur, et penitus extinguitur juspatronatus, ad n. 83. — 84. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 94.

1. Juspatronatus quatuor modis ab uno in alium transferri potest, scilicet, *Successione, Donatione, Permutatione et Venditione*. Communis cum Glossa in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, De Jurepatronatus, verb. *Emptorum*, ubi dat sequentes versiculos:

Jurapatronatus transire facit novus hæres,  
Et res permutata, donatio, venditioque.

(2. Primo igitur modo juspatronatus transit per successionem hæreditariam cum universitate bonorum ad quoscunque hæredes, tam mares quam feminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento succedant, arg. cap. *Perlatum est* 1. Et cap. *Ex litteris* 7. De jurepatronatus, et Clementin. 2, eod. tit. Et sic tenet Abbas in cit. cap. *Perlatum est*, n. 2 et sequent., et ibi Fagnanus, n. 12 et 13, et Barbosa num. 9; Pirhing lib. III Decretal., tit. 28, n. 44; Reiffenstuel ibid., num. 18, et Communis aliorum. Jura enim indistincte loquuntur de hæredibus patroni, nulla expressa differentia, sive hæredes sint masculi, sive feminae, sive necessarii, sive extranei, sive hæredes sint ab intestato, sive ex testamento; ubi autem jura indistincte loquuntur, indistincte etiam sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, cap. *Quia circa* 22, De privileg. et l. De pretio, ff. De publiciana in rem actione.

(3. Hinc, si filia sit hæres cum fratre, æque cum illo succedit in jurepatronatus hæreditario. Communis, arg. Citatis juribus. (4. Item, si filius, vel filia non sit hæres patris sui, ex quo vel exhæredetur vel repudiet hæreditatem, non succedit in jurepatronatus hæreditario; quia hoc veluti accessorium sequitur hæreditatem. Communis. (5. Item, si filius vel filia instituat a patre in re certa, et extraneus instituat hæres universalis, juspatronatus hæreditarius transit ad extraneum hæredem, et non ad filium, nec filiam, quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet, et filius institutus in re certa habetur in loco Lega-

tari: l. penultim. Cod. de hæred. institut., adeoque, cum non sit hæres, non potest consequi juspatronatus hæreditarium. Communis. (6. Excepiendus est tamen casus, quo tali rei certæ, v. g. castro, pago, palatio, vel fundo, in quo instituitur, esset inseparabiliter annexum ipsum juspatronatus, quia tali casu juspatronatus non transiret ad extraneum hæredem universalem, sed ad filium in tali re certa institutum; cum juspatronatus transeat semper cum re, cui est inseparabiliter annexum, arg. cap. *Ex litteris* 7 De jurepatronat., et ibi Fagnan., num. 3. Barbosa n. 2. Canisius in cap. 1 et 2, n. 5, De jurepatronat. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, num. 44. Reiffenstuel. ibidem, num. 10, et alii. *Accessorium enim naturam sequi congruit principalis*, ut expresse dicitur in cap. *Accessorium* 42, De reg. juris. in 6.

(7. Quando plures sunt hæredes unius patroni, succedunt omnes æquali jure, quamvis in partibus inæqualibus sint instituti hæredes, unde in solidum tale juspatronatus possidere debent, nec inter se illud dividere possunt; cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronatus, et Glossa ibid., verb. *Dividi non debeat*, et doctores communiter, arg. l. Via 17, ff. De servit. leg. Si sepulcrum, Cod. de Religios. et sumpt. fun. l. 1, § Si Ususfructus, ff. ad l. Falcid. et leg. Usus, ff. De usu et habit. (8. Possunt tamen dicti plures hæredes inter se pæisci et convenire de rectore alternis vicibus præstando, hoc est, quod unus præstent prima vice vacationis beneficii seu ecclesiæ, alter secunda, et alter tertia. Communis, texto expresso in Clementina Plures 2, De jurepatronatus, ibi: « Et ut facilius provideatur ecclesiis, non inconveniens reputamus patronos ipsos inter se posse libere conveniri de rectore ab eis alternis vicibus præstando. » Glossa ibid., verb. *Alternis vicibus*. (9. Item possunt compatroni et hæredes eorum inter se dividere menses, ita ut, si mense Januario vacat ecclesia, seu beneficium, præstent unus, si in Februario præstent alter, etc. Vel etiam si plura beneficia conferenda habent, unus ad hoc, et alter ad illud præstent: Communis, arg. cit. Clementina Plures.

(10. Et has conventiones possunt compatroni ac hæredes inter se inire absque ullo consensu episcopi arg. cit., Clementina Plures, ibi: « Inter se posse libere convenire, » et ibi Glossa verb. *Libere*. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat., n. 6. Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. gloss. 46, § 1, n. 58. Barbosa De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, n. 28, et seq. Pirhing l. III Decretal., tit. 38, n. 46. Reiffenstuel ibid., n. 23, et communis aliorum.

(11. Etiam juspatronatus gentilitium, scilicet reservatum illis qui sunt de familia seu agnatione fundatoris, extincta familia, seu agnatione, transit ad hæredes extraneos, nisi in prima fundatione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. Rota in causa Cremonensi jurispa-

tron. die 6 Jan. 1578, coram Gardin. Seraphin., ut in ejus impressis dec. 364, quæ postea confirmata fuit sub die 21 Novemb. ejusdem anni ut dec. 378, et concordat Rota dec. 383, per tot. coram Robusterio part. 1, diversar. Cassad. dec. 1, n. 3, De jurepatronat. Ancharanus cons. 81. Fagnan. in cit. cap. *Perlatum est* 1, De jurepatronat. n. 25. Pirhing, loc. cit., n. 53. Reiffenstuel loc. cit., n. 24, et alii passim. Et ratio est, quia reservatio jurispatronatus facta in prima fundatione a fundatore pro illis qui sunt de sua familia, seu agnatione, non addita particula taxativa tantum, vel alia simili, intelligitur solum facta cum ea restrictione, ut tale juspatronatus non transeat ad hæredes extraneos, durante sua familia, seu agnatione; ergo secus intelligitur facta pro casu deficientis suæ familiæ; tum quia casus a fundatore omissus relinquitur dispositioni juris communis; argum. l. Commodissime, ff. De liber. et posthum. l. Si cum dotem, ff. Solut. Matrim., l. Si extraneus, ff. De condict. ob caus. Atqui casus deficientis suæ familiæ fuit a fundatore omissus, ergo est relinquendus dispositioni juris communis, quo statutum est, ut juspatronatus transeat etiam ad hæredes extraneos, juxta dicta supra n. 2. Sic enim dispositio hominis convenit cum dispositione legis, et utraque servatur in suo casu; scilicet dispositio hominis quando duraverit sua familia; dispositio autem legis, quando illa defecerit.

(12. Si autem fundator expresse statuit cum particula taxativa tantum, quod tale juspatronatus transeat ad illos solum qui sunt de sua familia, seu agnatione, non vero ad eorum hæredes extraneos, tunc ad ipsos non transit, et extincta familia, extinguitur juspatronatus, et ecclesia, seu beneficium remanet liberæ collationis. Et ideo notanter fuit dictum in conclusione sub n. antecedente. « Nisi in prima fundatione fundator expresse et taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem. » Et ratio est, quia fundator potest in fundatione remittere juspatronatus, vel in totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium descendantium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, arg. c. *Significavit* 41, De testibus, et cap. *Si laicus unie*. De jurepatronatus in 6. Sic tenet communis cum supradictis.

(13. Juspatronatus, quamvis transitorium ad hæredes extraneos regulariter non transit ad substitutos, seu fideicommissarium etiam universalem, sed remanet penes hæredem directum, seu gravatum. Rota part. 5, recent. tom. II, dec. 543, n. 9 et 19, part. 6, decis. 89, n. 27, part. 7, decis. 72, a n. 7 usque ad 18, p. 9, tom. I, decis. 206, n. 5, 8 et 14, part. 12, decis. 400, num. 1, part. 13, decis. 64, n. 4, et sæpe alibi. Et sic tenet Communis doctorum, cum Barbosa in cap. *Perlatum est* 1. De jurepatronat., num. 10 et 11, et Garcias De benefic., part. 5, cap. 9, num. 17, ubi n. 13 et 19, ait: « Juspatronatus personale et non annexum bo-



nis, non transire ad fideicommissarium, quamvis ex testantis iudicio et expressa voluntate possit fideicommissarius consequi juspatronatus, accedente licentia episcopi. Et ratio est, quia ex præsumpta voluntate testatoris ad fideicommissarium transeunt solum bona et jura afferentia commodum pecuniarium, non autem illa quæ ad solum honorem pertinent, uti est juspatronatus, » ut censuit expresse Rota part. 9, tom. I, decis. 289, n. 9 et 10, part. 12, dec. 100, n. 8 et 9, adeoque juspatronatus ex præsumpta testatoris voluntate remanere debet apud primum ac directum hæredem. Tum quia, quamvis jura sepulcrorum veniant in universali alienatione, l. Si modicis 24, ff. De contrahend. Empt., l. Quædam 62, ff. De acquirend. rerum dominio; tamen non veniunt in translatione universali, quæ fit in fideicommissarium, sed penes hæredem manent: ergo sicut ista jura non comprehenduntur sub restitutione facienda fideicommissario, cum non veniant jure hæreditario, ita nec juspatronatus ecclesiæ seu beneficii.

(14. Transit autem juspatronatus ad fideicommissarium, ubi id constat de voluntate testatoris. Rota part. 5 recent., tom. II, decis. 542, n. 13, part. 12, decis. 700, n. 10, par. 13, decis. 74, n. 1, part. 14, decis. 153, n. 3, part. 18, tom. II, decis. 589, num. 3. Non enim repugnat naturæ juspatronatus, quin illud possit transferri etiam in fideicommissarios. Rota part. 7, decis. 72, n. 11 et 12, p. 18, tom. II, decis. 667, n. 17. Dummodo tamen non solum concurrat Testatoris voluntas, sed etiam forma primæ acquisitionis non repugnet; Rota part. 10, decis. 240, n. 10, part. 12, dec. 100, n. 11, et decis. 190, num. 1. Ita ut juspatronatus, et jus præsentandi pertineat substituto habenti qualitatem per fundatorem desideratam; Rota part. 13, decis. 136, n. 2. (15. Ad effectum tamen cognoscendi et eliciendi voluntatem testatoris, non sufficit voluntas implicita, sed requiritur expressa. Rota part. 5, tom. II, dec. 542, n. 16, part. 7, decis. 170, n. 6 et 7. Puta, si verbis expressis testator declaraverit sub universali hæreditate, in qua fideicommissum constituit, comprehendendi juspatronatus, quo casu mentio juspatronatus facta in institutione, censetur repetita etiam in substitutione. Rota part. 18, t. II, decis. 589, n. 4. Vel quando verba fideicommissi comprehendunt etiam jura et actiones, Rota part. 12, decis. 104, num. 11, part. 13, dec. 152, num. 1 et 2. Seu quando substitutio facta fuit etiam de juribus et actionibus. Rota p. 12, dec. 271, n. 4, part. 13, decis. 64, num. 6 et 7.

(16. Item juspatronatus transit etiam ad fideicommissarium universalem, quando est inseparabiliter annexum universitati bonorum fideicommissorum, arg. c. *Ex litteris* 7, et c. *Cum sæculum* 13. De jurepatronatus per dicta supra n. 6. Tunc enim fideicommissarius, velut universalis bonorum possessor, succedit in omnia annexa ipsis bo-

nis per cit. cap. *Accessorium* 42. De regul. Juris in 6, succeditque pariter in universum jus defuncti jure Prætorio, et in effectu est plenus hæres, l. II et III, § 1, num. 2, ff. De bonor. possess. Imo tale juspatronatus transit etiam in usufructuarium universitatis bonorum. Barbosa in cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., num. 7, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, num. 232, cum pluribus ibi citatis. Pirhing. lib. XXXVIII Decretal., num. 55, in fine. Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, num. 57, ubi adducit alios et decisionem Rotæ.

(17. Juspatronatus per hæreditariam successionem potest transire ad monasterium seu religionem, idque duplici modo. Primo, quando a patrono laico monasterium capax bonorum in communi instituitur hæres; tunc enim cum universitate bonorum talis hæreditatis transit ad monasterium etiam juspatronatus. Secundo, quando patronus laicus fit religiosus, tunc enim juspatronatus ad ipsum spectans cum omnibus ipsis bonis transfertur in monasterium, et quidem perpetuo, si sit juspatronatus hæreditarium. Tale enim juspatronatus sequitur hæreditatem, et hæreditati monachi succedit monasterium, cum quidquid acquirit monachus, acquirat monasterium, cap. *Statutum* 1, caus. 18, qu. 1, c. *Abbatibus* 16, caus. 18, q. 2, c. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3, c. *In præsentia* 8, de probation. cum similibus. Ita Tamburin. De jure abbat. t. III, disp. 9, q. 28, num. 1 et 2. Pirhing. loc. cit., num. 59, et alii passim.

(18. Si autem juspatronatus sit gentilium et jure sanguinis delatum ad patronum, qui religionem ingressus est, tunc tale juspatronatus non transfertur in monasterium perpetuo, sed solum ad tempus, id est durante vita monachi, quia post ejus obitum defertur ad hæredes ipsius consanguineos. Tamburin. l. c. n. 2. Pirhing. l. c. n. 59. Garcias De benefic., part. 5, c. 1, n. 555, et alii. (19. Juspatronatus transit etiam probabiliter ad fiscum saltem indirecte et accessorie, quando ab ipso ob aliquod enorme patroni crimen confiscantur omnia, vel aliqua specialia ejus bona, cui annexum est juspatronatus; tunc enim, adveniente vacatione beneficii, vice patroni banniti, præsentat fiscus. Abbas in cap. *Quanto* num. 6, De judiciis, et in cap. *Nobis* 25, De jurepatronat., num. 2. Ferret. consil. 179. Barbosa in cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 9, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, n. 238, et part. 3, De offic. et potest. episcop., allegat. 71, num. 45, cum pluribus ibi citatis. Lotter. De re benefic., lib. II, q. 4, num. 21, cum aliis, Pirhing. loc. cit., n. 57, et alii. (20. Secus autem juspatronatus personale, seu per se, et singulariter consistens, non annexum ullis patroni bonis, quia tale juspatronatus, cum defectu jurisdictionis nequeat confiscari per Judicem Laicum, manet penes delinquentem, donec per sententiam judicis ecclesiastici eo privetur tanquam indignus, et tunc ecclesia fit libera. Barbosa in cit. cap. *Ex*

*litteris*, num. 40, et cit. lib. III, cap. 12, num. 9, 239. Abbas in cap. *Cum Laici* 10, De jurepatr., n. 2. Azorius part. 2, lib. VI, cap. 20, q. 14. Pirhing loc. cit., num. 57. Silvester verb. *Juspatronat.*, qu. 5, dist. 6. Garcias De benefic., part. 5, cap. 9, num. 26, et sequent., et alii passim. (21. Imo, secundum multos, neque juspatronatus reale, seu annexum bonis transit ad fiscum laicale ex confiscatione talium bonorum; sed tunc ecclesia libertatem acquirit. Ita Cardin. in Clementin. *Plures*, De jurepatronat., n. 8. Imola in Clementin. *Pastoralis*, De re judicat., num. 71 et seq. Joan. de Anania in cap. *Vergentis*, De hæreticis, num. 6. Lambertin., De jurepatronat., lib. III, qu. 8, art. 8, n. 16 et 22. Simancha in catholic. Instit., tit. 5, n. 95. Rota part. 1, recent. decis. 53, n. 5. Et hanc Rota part. 5, tom. I, decis. 336, n. 17, dicit esse opinionem magis communem, quam tenet ipsa Rota, quia juspatronatus tanquam quid spirituale non venit in confiscatione facta a iudice laico. Rota cit. decis. 336, n. 17, ubi citat plures alias Rotæ decisiones, Glossam et alios doctores, et ibid., num. 16, cum Roch. de Curte, dicit esse etiam opinionem æquioram.

(22. In translatione juspatronatus cum universitate bonorum, seu cum specialibus aliquibus bonis, ut cum claustro, villa, pago, quibus ipsum juspatronatus est inseparabiliter annexum, non requiritur consensus episcopi, arg. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus cum similibus, Barbosa De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 71, num. 10. Vivian. in Praxi juspatronat., part. 1, lib. IV, cap. 1, num. 2. Pisecius part. 2, cap. 15, art. 1, num. 44, et communis aliorum. (23. Requiritur autem consensus episcopi quando juspatronatus de per se sine ulla hæreditate transfertur in laicum, seu clericum nomine proprio, v. g. per legatum in testamento relictum, arg. cap. *Si Laicus*, unic. De jurepatronat., in 6, a sensu contrario, et communis doctorum cum Barbosa loc. cit., num. 12. Tunc enim, antequam consensus episcopi accedat, juspatronatus existit penes hæredem, quia per solam dispositionem laici non potest hujusmodi jus de per se in alium laicum, seu clericum nomine proprio, et non nomine ecclesiæ transferri, cum jura tantum permittant, ut juspatronatus transferatur in filios vel hæredes, non autem in legatarios, cap. *Filiis* 32, caus. 16, quæst. 7. Abbas in cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronatus, num. 6. Joan. Andr. ibid., num. 2. Pirhing loc. cit., num. 58. Azorius loc. cit., qu. 10. Silvester loc. cit. qu. 4, dicto 6, et alii communiter. (24. Non requiritur tamen consensus episcopi, quando juspatronatus etiam de per se transfertur in ecclesiam, seu locum religiosum, vel in clericum nomine ecclesiæ; cap. *Illud* 8, De jurepatronatus, et cap. *Si Laicus* unic. cod. in 6, et communis doctorum cum Barbosa l. c., n. 11. Pirhing l. c., n. 58. Sanchez Consil. Moral., lib. II, c. 3, disp. 76, n. 3.

(25. Secundo modo juspatronatus transit

que uno in alium per donationem. Glossa communiter recepta in c. *Piæ mentis* 26, caus. 16, qu. 7, et in c. *Cum sæcul.* 13, De jurepatronatus; et est textus in c. *Ex insinuatione* 14, et c. *Nullus* 17, De jurepatronatus. (26. Juspatronatus donatio, si fiat de laico in laicum, seu in clericum nomine proprio, et non nomine ecclesiæ, seu dignitatis, quam obtinet, requirit necessario episcopi consensum, arg. c. *Si laicus* unic. De jurepatr. in 6, a sensu contrario; et tenet Abbas in c. *Illud* 8, De jurepatr., n. 5. Barbosa ib., n. 2, et part. 3. De offic. et potest. episc., alleg. 71, n. 23. Pirhing loc. cit., num. 61, et alii communiter. (27. Si autem donatio per patronum etiam laicum fiat ecclesiæ, monasterio, aut alteri loco pio, seu etiam clerico nomine ecclesiæ vel dignitatis, quam obtinet, episcopi consensus non requiritur. Communis textu expresso in cap. *Illud* 8, de jurepatronatus, et cap. *Si Laicus* unic. eod. in 6. (28. Si vero donatio fiat ab Ecclesia alteri ecclesiæ, requiritur dictus episcopi consensus, quia sine illo ecclesia alienari non potest, cap. *Sine exceptione* 52, caus. 12, qu. 2. Barbosa cit. allegat. 71, num. 26, et alii. (29. Et si talis donatio ab ecclesia fiat laico, requiritur Beneplacitum Apostolicum. Rota part. 2, dec. 146, num. 6, et par. 5, tom. I, dec. 191, num. 8, arg. Extravagant. *Ambitiosa*, De rebus eccles. non alienand. (30. Consensus episcopi necessarius non est in donatione, qua unus patronus alteri patrono socio, seu compatrono jus suum donat, remittit, seu renuntiat. Rota part. 1, recent. dec. 707, n. 4, part. 5, tom. I, dec. 191, num. 5, et decis. 225, num. 9, par. 7, decis. 101, n. 1, par. 10, dec. 238, num. 8. Barbosa cit. allegat. 71, num. 18, cum plurimis aliis ibi citatis. Reiffenstuel lib. III Decret., tit. 38, n. 26, ubi dicit esse communem, arg. Clement. *Plures* 2, De jurepatronatus, et ibi Glossa verb. *Libere*. (31. Non potest tamen sine consensu episcopi tale juspatronatus donari filio compatroni, quia filius in vita patris, qui est patronus, non reputatur compatronus. Card. Pereira De resolut. emphyt., c. 6, n. 3, et De potest. eligendi, cap. 1, num. 24. Barbosa cit. alleg. 71, num. 29, et alii.

(32. Consensus episcopi, licet requiratur in donatione particulari, non requiritur tamen in donatione universali omnium bonorum, Rota part. 6, recent. dec. 208, num. 12 et sequent. Annotat. ad decis. 46, a n. 121 usque ad n. 125, part. 9, tom. I, et decis. 73, n. 30, par. 11. (33. Imo juspatronatus venit sub generali donatione omnium bonorum, jurium et actionum. Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 3. Etiam si juspatronatus non fuerit expressum. Rota part. 19, tom. II, decis. 615, n. 2, et neque in hoc casu requiritur consensus Episcopi. Rota part. 19, tom. I, decis. 181, n. 5, et ead. part. 9, tom. II, decis. 615, n. 2.

(34. Consensus episcopi, ubi requiritur in translatione juspatronatus, debet esse expressus, nisi scienter translatio fuerit emissã ab ipso episcopo; Barbosa cit. alibi;



71, n. 15, et alii passim. (35 Ubi requiritur consensus episcopi, ut in donatione particulari, si fiat sine ipso, donatio non valet; Rota part. 1, recent. decis. 311, n. 1, et decis. 576, n. 1, part. 2, dec. 137, n. 1, et decis. 637, num. 3, part. 3, decis. 555, n. 1, et decis. 606, n. 2, et sæpe alibi. Et talis jurispatronatus donatio absque consensu episcopi facta est taliter penitus irrita, ut donans possit præsentare non obstante donatione a se facta; imo potest talis patronus cum consensu ordinarii alteri donare. Annot. ad decis. 46 a n. 46 usque ad 64, part. 9, tom. III. (36. Neque ad hunc effectum sufficit consensus vicarii generalis absque speciali mandato; Rota part. 1, recent. decis. 302, n. 3, part. 2, decis. 257, n. 1, et decis. 337, n. 5, part. 8, decis. 224, n. 9 et 10, decis. 238, n. 2, et sæpe alibi; etiamsi episcopus fuerit absens; Rota part. 2, decis. 237, num. 5. (37. Consensus in translatione jurispatronatus debet esse episcopi illius diocesis in qua sita est ecclesia; cap. *Cura pastoralis* 11, De jurepatronat. Barbosa cit. allegat. 71, num., 17, et alii passim. (38. Consensus, seu confirmatio episcopi non debet necessario intervenire in ipso actu donationis; Rota part. 17, decis. 80, num. 3, sed etiam postea, et quocumque supervenire potest etiam post donationem; Rota part. 2, decis. 605, num. 3, part. 5, tom. 1, decis. 191, num. 7, part. 11, decis. 73, num. 32, et part. 17, decis. 80, num. 2. Quinimo supervenire potest etiam post obitum ipsius donatoris in præjudicium ejus hæredis et habentium causam ab eo. Rota part. 9, tom. II, decis. 430, num. 9. Quando nempe nullus adsit, cui fuerit interea Jus quæsitum; Rota part. 11, dec. 130, num. 18. Ita ut res sit integra, neque agatur de præjudicio alterius, quam ipsius donantis, ejusque hæredum; Rota part. 11, decis. 372, n. 26. Et sic doctores communiter.

(39. Donatio particularis jurispatronatus facta laico sine consensu, seu confirmatione ordinarii est revocabilis, cum facta sine ejus consensu seu confirmatione non valeat, ex quo nequeant laici præsumptione propria disponere de eo, quod est ecclesiastici juris ad textum apertos in cap. *Illud* 8. Nullus Laicus 17, et cap. *Suggestum* 20, De jurepatronat. Rota part. 1, recent. dec. 31, num. 1, et dec. 376, num. 1, part. 2, decis. 257, num. 1, et decis. 337, num. 4, par. 3, dec. 606, n. 2, par. 9, tom. II, dec. 430, n. 2, part. 19, tom. II, dec. 630, n. 8, et novissime in Bonon. Parochialis 8 Februarii 1706, § Nullitas enim, coram Scotto. Lambertin. De jurepatronat., lib. 1, part. 2, qu. 6, art. 4, num. 2. Pitonius De controversiis patronorum, tom. 1, allegat. 42, num. 3, et 22, et alii passim. Hinc talis donator potest cum consensu ordinarii alteri donare; Annot. ad dec. 46, a n. 56 usque ad 64, p. 9, tom. I, et communis doctorum.

(40. Est tamen valida et irrevocabilis in præjudicium donantis talis particularis jurispatronatus donatio sine consensu, seu confirmatione ordinarii, si facta sit cum ju-

ramento, promissione et pacto expresso de eam non revocando: Rota part. 17, recent. dec. 80, n. 5, et in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum apud Bertachin. Voto decis. 47, num. 14 et 39, et in Compostellana Parochialis 25 Junii 1696, § Quandoquidem, et 28 Junii 1697, § Non relevante, coram Priolo, et pluribus adductis Pignatell. tom. VI, consultat. 96, num. 12, 15, et sequentib., et judicatum fuit per Judices commissarios in voto impresso apud Saminiat. contr. 196, num. 43, et sequent. tom. II. Et Rota Maceraten. in una Maceraten. Beneficii 1 Junii 1721, § In nihilo § Quare, et § Sic etiam coram Tomano, Piton., loc. cit., n. 11, et 22, ubi addit se ita judicari obtinuisse in Sulmonen, seu Valven. Capellanæ per sententiam A. C. Cencii lata sub die 2 Octobris 1714. Et ratio est, quia licet talis donatio sit de sua natura revocabilis ante consensum, seu confirmationem ordinarii ex dictis num. antecedenti, attamen per juramentum de eam non revocando evadit firma, et irrevocabilis in præjudicium ipsius donantis, cum in tali statu res non sit amplius integra, nec sit locus penitentiae; Seraphin. De jurament. privileg., 139. Cyriac. controvers. 322, n. 33. Pignatell. loc. cit., n. 12, et sic alia præsentatio donantis contra suum juramentum non potest admitti per ordinarium ne fiat particeps ejus delicti confovendo ipsius perjurium; Rota part. 17, recent. dec. 80, a num. 5. Merlin. dec. 443, num. 4 et seq. Gutierrez De juramento confirm., par. 3, cap. 14. Sporell. decis. 180, num. 1 et 16, usque ad 21. Rota Macerat. in una Macerat. Beneficii 1 Junii 1711, § Quare cum donatio, coram Tomano, impressa apud Pitonium loc. cit. Abhorrent enim Sacri Canones confoveri perjurium, cap. *Si vero* 8, De jurejurando, ibi: «Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur», et concordant cap. *Verum* 13, et cap. *Mulier* 38, eod. tit. De jurejurando, ac etiam jus Cæsareum in l. Si minori 1. Cod. Si adversus venditionem, et l. Ambiguitates 2. Cod. de indicta viduitate. Unde ante consensum ordinarii talis donatio in præjudicium donantis habet implicitum statum validitatis, usquequo sepeveniat confirmatio episcopi, Rota Macerat. in est. Macerat. Beneficii 1 Junii 1711, § In nihilo impressa apud Piton. loc. cit. Saminiat., contr. 196, et alii passim.

(41. Neque a tali juramento potest ab ordinario absolvi dictus donator, donatorio seu parte non citata, cum absolutio sit in præjudicium tertii. Gales De oblig. can., q. 25, n. 3, et ibi Zach. n. 11. Cyriac. contr. 7, n. 14. Altimar. De nullit. rubr. 12, n. 92. Scop. ad Grat. dec. 163, n. 3. Rota Macerat. in d. Maceraten. Beneficii, § Nec ad præservandum cor. Tomano. Sperell. dec. 180, n. 60, ubi pluribus citatis testatur sic de stylo servari.

(42. Post consensum, seu confirmationem ordinarii talis jurispatronatus donatio est irrevocabilis, etiamsi non fuerit jurata: Rota

part. 7, recent. dec. 36, n. 5 et seq. Pitonius cit. allegat. 40, n. 22, ubi testatur, quod sic solet regulariter concludi, et sic tenent doctores communiter. Et ratio est, quia per confirmationem, seu decretum ordinarii evadit donatio inter vivos; Rota part. 19, recent. dec. 333, n. 15, quæ ex sola penitentia donatoris revocari non permittitur per text. in l. Possessionem 3. Cod. de revocandis donationibus, cum donatio inter vivos irrevocabilis et immutabilis sit; l. Perfecta 4. Cod. de donationibus, quæ sub modo, et § Aliæ autem 2. Instit. de donationibus cum similibus; Rota cit. dec. 333, n. 9.

(43. Tertio modo, juspatronatus transit de uno in alium per permutationem, Glossa communiter recepta in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, de jurepatronatus, et ex textu in c. *Nemini* 40, caus. 16, q. 7. (44. Et quidem licite et valide, saltem accessorie, et per accidens permutari potest etiam pro rebus temporalibus, si nempe universitas bonorum, vel alia res temporalis, ut villa, castrum, et hujusmodi, cui juspatronatus est inseparabiliter annexum, permutatur cum aliis bonis temporalibus, dummodo hoc in æstimationem non veniat, ita ut ratione illius in permutatione res temporalis pretiosior, quam alia commutanda exigatur et detur. (45. Et talis permutatio potest fieri etiam sine consensu episcopi; contractus enim celebratur de solis temporalibus (ad quem contractum utique non requiritur consensus episcopi, ut de se patet) cum quibus juspatronatus, ut inseparabiliter annexum, accessorie transit; regula autem est, quod juspatronatus transeat cum re, cui est inseparabiliter annexum, etiam absque consensu episcopi, arg. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronatus, et notant, et tenent, ibi Abbas num. 1, Innocent. num. 2, Barbosa num. 3, Fagnan. num. 3, et alii communiter. (46. Nullatenus tamen neque cum consensu episcopi potest permutari juspatronatus de per se, et solitarie sumptum pro re temporali. Communis textu expresso in cap. *Quæsitum* 5, de rerum permutatione, addita ratione: «Quia circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper Simonia», et in cap. *Exhibita* 9 eod., ibi: «Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur.» Juspatronatus autem est annexum spirituali, textu expresso in c. *De jure* 16, de jurepatronatus, ibi: «Juspatronatus, quod est spirituali annexum.»

(47. Juspatronatus permutari potest cum alio jurepatronatu, aut alia re spirituali. Communis, arg. cit. cap. *Quæsitum* 5, de rerum permut., et cit. c. *Nemini* 40, caus. 16, quæst. 7. (48. Talis autem permutatio nequit fieri sine consensu episcopi, quia spiritualium permutatio in materia beneficiaria requirit episcopi consensum, seu auctoritatem; arg. cit. cap. *Quæsitum* 5, De rerum permut., Reiffenstuel lib. III Decret., tit. 36, num. 28. Pirhing ibid., num. 79. Zoësius ibid., num. 25. Silvester, verb. *Juspatronatus*, q. 5, et alii. (49. Barbosa tamen De offic. et potest.

episcop., part. 3, allegat. 71, n. 31, cum alii ibi citatis dicit, quod consensus episcopi solum regulariter concludi, et sic tenent doctores communiter. Et ratio est, quia per confirmationem, seu decretum ordinarii evadit donatio inter vivos; Rota part. 19, recent. dec. 333, n. 15, quæ ex sola penitentia donatoris revocari non permittitur per text. in l. Possessionem 3. Cod. de revocandis donationibus, cum donatio inter vivos irrevocabilis et immutabilis sit; l. Perfecta 4. Cod. de donationibus, quæ sub modo, et § Aliæ autem 2. Instit. de donationibus cum similibus; Rota cit. dec. 333, n. 9.

(51. Quarto modo, juspatronatus transit, seu transfertur de uno ad alium per venditionem. Glossa communiter recepta in cap. *Piæ mentis* 26, caus. 16, q. 7, et in cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronat., et est textus in d. cap. *Cum sæculum*. (52. Hoc tamen non debet intelligi, quod juspatronatus per se, ac solitarie sumptum possit vendi, quia sic sumptum, nec licite, nec valide vendi potest, ut tenet communissima doctorum, textu expresso in cap. *De jure* 16, De jurepatronatus, addita ibi ratione: «Cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spirituali annexum.» (53. Imo vendens juspatronatus sic sumptum, si sit persona singularis, subjacet excommunicationi; si vero sit aliqua communitas, seu universitas, subjacet interdicto. concil. Trident. sess. 25, *De reformat.* cap. 9. (54. Et tam vendens, quam emens, etiamsi intervenerit consensus episcopi, ipso facto privati existunt tali jure patronatus; arg. cap. *Quia Clerici* 6, De jurepatronatus, et expresse conc. Trident. loc. cit., ibi: «Si secus fecerint, excommunicationis et interdicti pœnis subjiciuntur, et dicto jurepatronatus ipso jure privati existant.» Annot. ad dec. 46, Rotæ recent. n. 3 et seq., par. ix, tom. 1. Barbosa in cit. cap. *Quia Clerici*, num. 2, et in Trident., loc. cit., num. 81, et De offic. et potest. episcop., part. 3, allegat. 72, num. 33, et communis aliorum. (55. Nectalis venditor posset retinere pretium acceptum, ne ex iniquitate sua commodum reportet; arg. cap. *Intelleximus* 7, De judiciis, ibi: «Ne videatur de sua malitia commodum reportare.» Sed tenetur illud restituere, non quidem emptori, utpote qui mala fide contra sacros canones emit, arg. cap. *De hoc* 11, De simonia, et l. Fundum, cod. de evict., sed ecclesiæ, cui per simoniam injuria fuit illata. Abbas in cap. *De jure* 16, De jurepatr., num. 3. Barbosa ibid., num. 5. Lambert. De jurepatron., lib. 1, par. 2, q. 5, art. 6. Vivian. in Praxi jurepatr., lib. iv, c. 5, n. 9, et alii.

(56. Quando vendens ratione illicitæ et invalidæ venditionis privatur jurepatronatus, tunc ecclesia patronata remanet libera, si unus tantum est patronus, vel plures quidem, sed omnes pro tali venditione delinquentes. Annot. ad dec. 46, num. 7, p. 9. Rotæ recent. tom. I. Barbosa Collectan. in cap. *Quia Clerici* 6, de jurepatronat., num. 2, et in Trid. sess. 25, *De reformat.*, cap. 9, num. 81, cum pluribus ibi citatis. (57. Si autem plu-